

*Achaenia rufa*, muriculata; Pappus albus, tenax \*). In Georgia et Armenia.

733. *Barkhausia foetida* DC. In Radscha et Ossia.

734. *Barkhausia rhocadifolia* M. B. In Colchide.

735. *Crepis hieracioides* Willd.  $\gamma$ . *succisifolia* Froel. msc. In Mingrelia.

736. *Crepis youngiformis* C. Koch (Eurepis DC.); Stricta, ex apice paniculato-corymbosa, crispulis pilis obsita; Folia obovato-lanceolata, sagittato-amplexicaulia; Calathidia (matura) cylindrica; Anthodium glaberrimum: exterius calyculatum, parvum, phyllis subquinque ovato-acuminatis; Corollae tubus pilosus. Species ad Youngiam ob achaeniorum formam et tubi corollini pilositate, nec non totius plantae statura maxime accedit. In itinerario meo caucasico T. II. sub nomine *C. parviflorae* citavi, abs qua tamen flores majores et phylla exteriora ovato-acuminata, interiora contra glaberrima distinguunt. In Armenia occidentali.

737. *Crepis ciliata* C. Koch (Eurepis DC.); Stricta; Caulis sulcatus, simplex, hispidus; Folia inferiora squamiformia, minima; reliqua lanceolata, oblongave, ex basi cordata, amplexicaulia, runcinata, ex margine et carina media pilis hispidis obtecta; Anthodium hispidum, ovatum, subimbricatum; Tubus corollinus pilosus. In Armenia boreali.

738. *Pterotheca nemausensis* Cass.

$\alpha$ . *glaucescens*; Glabra; Folia dentata aut dentato-runcinata. In Armenia ubique.

$\beta$ . *hirta*; Folia obscure viridia, lyrato-pinnatifida. In Georgia et Colchide.

---

\*) Cl. DeCandolle subtribus VII et VIII. (Lactuceas et Hieraceas) non optime pappo tenaci et fragili distinguit, quod in genere Taraxaco pappus uterque. Forma achaeniorum, ut jam cl. G. D. J. Koch monuit, meliorem notam characteristicam praebet.